

6. Sentencia Supremo Tribunal de la Rota Romana

Para general información, se da a conocer el texto íntegro de la sentencia definitiva emitida por el Colegio de Jueces de la Signatura Apostólica, con referencia a la Causa: CONCHEN. Poenalis (Rev.dus F. Mahía – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae), relacionada con el Decreto publicado en el n. 3, septiembre-diciembre de 2008, pp. 306-308, del Boletín Oficial de este Obispado de Cuenca.

**SUPREMUM
SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL
PALAZZO DELLA CANCELLERÍA 00120 CITTÀ DEL VATICANO**

Prot. n. 42677/09 CA

CONCHEN.

Poenalis

(Rev.dus F. Mahía - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et
Societatibus vitae apostolicae)

Cf. etiam prot. n. 41221/08 CA

SENTENTIA DEFINITIVA
IN NOMINE DOMINI AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno VII, die 21 maii 2011, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, Praefecto, Carolo Card. Caffarra et Ioanne Card. Lajolo, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Xaverio Echevarría Rodríguez, Ponente, et Philippo Iannone, O.Carm., intervenientibus Cl.mo D.no Carolo Gullo, utpote Recurrentis Patrono, Cl.mo D.no Aemilio Artiglieri, tamquam Patrono Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, et Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

I. FACTI SPECIES

1. Adversus Rev.dum Franciscum Xaverium Mahía Colao, tunc praesidem Unionis *Lumen Dei* et Unionis Sacerdotalis *Lumen Dei*, Cl.mus Ioannes Antonius Perteguer Muñoz, tunc praeses adiunctus Unionis *Lumen Dei*, sectionis matrimonialis, atque Administrator generalis eiusdem Unionis, accusationes plurimas Em.mo Praefecto Congregationis pro Institutis vitae consecratae et

Societatibus vitae apostolicae die 1 Augusti 2005 porrexit. Quibus cognitis, investigatio de mandato Congregationis instituta est ab Exc.mo Ramón del Hoyo López, tunc Episcopo Conchensi dein Administratore Apostólico eiusdem Dioecesis, qui, instructione peracta, die 9 decembris 2005 per amplam relationem Congregationi obtulit.

Mandato Rev.di Mahía uti praesidis die 26 maii 2007 cessato, die scilicet 28 maii 2007, Cl.mus Ángelus Carolus González Vidal, praeses adiunctus Unionis *Lumen Dei*, sectionis matrimonialis, atque Administrator generalis eiusdem Unionis, alias accusationes adversus eundem Rev.dum Mahía Em.mo Praefecto Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae porrexit.

Quam ob rem Exc.mus Episcopus Conchensis nuper electus, Exc.mus nempe José María Yanguas Sanz, die 2 decembris 2007 decretum protulit ad normam can. 1720, quo processus poenalis administrativus adversus Rev.dum Mahía instituebatur.

Reiecta in limine ab H.S.T. exceptione de Exc.mi Episcopi Conchensis incompetencia, decretum poenale die 5 decembris 2008 prolatum est, quo Rev.dus Mahía declarabatur «autor de un delito de abuso del cargo por la comisión de graves agresiones físicas de diverso tipo realizadas contra distintos miembros de la Unión Sacerdotal Lumen Dei y de la Unión Lumen Dei» ac proinde eidem Rev.do Viro imponebatur «una pena expiatoria atenuada prohibiéndole ejercer oficio alguno que comporte el gobierno de personas dentro de las citadas Uniones (cfr. c. 1336 § 1, 3º)».

2. Remonstrationem statim Auctori decreti porrectam Exc.mus Episcopus Conchensis die 7 ianuarii 2009 reiecit. Quam adversus decisionem Rev.dus Mahía die 16 ianuarii 2009 ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provocavit, quae siluit.

Ecclesiasticae auctoritatis silentio ad normam can. 57 efformato, Rev.dus Mahía ad hoc Supremum Tribunal die 11 maii 2009 recursum proposuit contra «el silencio-rechazo del Dicasterio, que debe ser considerado como confirmación del Decreto del Obispo de Cuenca de 5 de diciembre de 2008; que se suspenda la ejecución del mismo y, en virtud de su potestad, se sirva anularlo conforme a derecho (c. 1739), dada la incompetencia del tribunal para conocer de un eventual proceso contra el suscrito».

Ad rem exarata sunt memorialia Cl.morum Patronorum, die 16 octobris 2009 pro parte recurrente et die 17 novembris 2009 pro parte resistente; dein promptum est die 28 decembris 2009 votum pro rei veritate a Rev.mo Promotore iustitiae. Quibus scripturis commutatis, respondit Cl.mus Auctoritatis ecclesiasticae Patronus ac dein res est ad Congressum delata. In quo, die 5 martii 2010, Exc.mus (nunc Em.mus) H.S.T. Praefectus causam admisit ad

disceptationem coram Collegio Iudicum, cuius est respondere dubio iuxta formulam die 27 martii 2010 statutam exarato: **«An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad silentium Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quo reicitur recursus Rev.di Mahía adversus decretum Exc.mi Episcopi Conchensis diei 5 decembris 2008, ab eodem Exc.mo Episcopo die 7 ianuarii 2009 confirmatum».**

Confecto Summario, Cl.mi partium Patroni memorialia porreixerunt, die autem 5 octobris 2010 pro parte recurrente, die 7 eiusdem mensis pro Auctoritate ecclesiastica, dum Rev.mus Promotor iustitiae votum pro rei veritate die 28 decembris 2010 exhibuit. Unus Cl.mus Congregationis Patronus scripturam responsionis die 18 ianuarii 2011 porrexit.

II. IN IURE ET IN FACTO

3. In primis efferendum est in casu de petita actus impugnati suspensione non fuisse nec esse pertractandum, quippe quae iure statuatur; nam «Appellatio vel recursus a sententiis iudicialibus vel a decretis, quae poenam quamlibet irrogent vel declarent, habent effectum suspensivum» (can. 1353).

4. Inter vitia, quibus impugnatum decretum poenale laborare contenditur, primum locum obtinet incompetencia, quae naturam veluti praeiudicalem prae se fert; incompetencia, enim, Auctoritatis, quae decretum tulit, declarata, non relevat de ceteris assertis actus vitiis videre nec de gravitate accusationum vel probationum disceptare. Quaestio, enim,; competentiae prae iudicio ponitur.

5. Cl.mus Recurrentis Patronus incompetenciam Exc.mi Episcopi Conchensis assumit: «Quilibet conveniri potest coram tribunali domicilii vel quasi-domicilii» (can. 1408). «In causis poenalibus accusatus, licet absens, conveniri potest coram tribunali loci, in quo delictum patratum est» (can. 1412), ideo pro delictis tria sunt fora ordinarie competentia: domicilii, quasi-domicilii, loci commissionis delicti».

Quam incompetenciam iamdudum Rev.dus Mahía excepit: die, enim, 28 decembris 2007 eam movit, dein de eadem pluries disceptatum est donec Exc.mus H.S.T. Secretarius die 14 maii 2008 hanc exceptionem in limine reiecit: decretum, tamen, solummodo statuit huiusmodi exceptiones durante processu administrativo poenali moveri nequire, quin celeritas processus administrativi pessumdetur. Cavit, ergo, explicite idem decretum «quod, decreto administrativo poenali de quo in can. 1720, n. 3 tandem prolato, recursui, si et quatenus et salvis iuribus, erit locus».

Nunc ergo Nostri est hanc quaestionem praeiudicalem sedulo examini subicere.

6. Iuxta communem doctrinam in processibus poenalibus administrativis Ordinarius competens, de quo in cann. 1341, 1717, 1718 et 1720, determinatur per remissionem ad canones generales de competentia praescribentes (cf. etiam cann. 1342, § 3; 1720, n. 3 et 1728, § 1).

7. Liquide atque inconcusse (cf. etiam can. 1526, § 2, n. 2) patet in casu competentiam invocare nequire ratione domicilii vel quasi domicilii, cum Rev.dus accusatus in Dioecesi Conchensi non degat, nec ratione delictorum commissorum, quae iuxta aecusationes et adductas probationes extra fines Dioecesis Conchensis patrata fuissent.

Ad rem addi potest, quantum relevare queat, competentiam in casu invocari non posse ratione incardinationis, quia Rev.dus accusatus in Archidioecesi Cuschensi adscriptus est, nec ratione muneris: nam Rev.dus accusatus, lapsu temporis praefiniti, a munere praesidis Unionis *Lumen Dei* et Unionis Sacerdotalis *Lumen Dei* cessavit ante quam processus administrativus poenalis inchoaverit.

8. Nec invocari potest titulus competentiae in re poenali in sodalem Rev.dum Mahía ex sede principali Unionis *Lumen Dei* et Unionis Sacerdotalis *Lumen Dei*, quae est Dioecesis Conchensis (intra cuius fines tamen iam diu nulla sedes habetur), quasi ex hoc titulo Exc.mus Ordinarius Conchensis Ordinarius de quo in cann. 1341, 1717, 1718 et 1720 evasisset atque per processum poenalem administrativum adversus Rev.dum Mahía procedere valuisset.

Nulla iuris praescripto huiusmodi titulus competentiae in re poenali fulcitur; nec ceterum munus Ordinarii sedis consociationis in iurisdictionem personalem, poenalem quoque complectentem, in omnes et singulos consociationis sodales, ubicumque degant, vertitur.

Leges latae in similibus, quatenus ad easdem in casu recurrere necessarium sit, interpretationem de qua confirmant (cf. cann. 595; 698, § 2; 691, § 1; 700).

9. Argumentis allatis aliena haud apparent quaedam huius causae adiuncta, ac praesertim silentium Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae.

Quod Dicasterium nedum tacuit intra terminum praescriptum ad recursui hierarchico providendum (cf. can. 57, § 1), sed silere adhuc perrexit non obstante obligatione decretum ferendi etiam ultra terminum praestitutum (cf.

can. 57, § 3), facultate quoque sprete de qua in art. 136, § 2 Ordinationis generalis Curiae Romanae.

Quod Dicasterii competentis silentium ad abundantiam confirmat id quod ex litteris ad Exc.mos Ordinarios Conchenses datis candide apparet, Congregationem scilicet pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae nullam processus *poenalis* in Rev.dum Mahía ex parte Ordinariorum Conchensium peragendi suffragationem dedisse. Non sine causa idem Dicasterium tacuisse videtur in ipsissimo recursu hierarchico de incompetencia (cf. prot. n. 41221/08 CA).

10. Soluta quaestione praeiudicali, ad hanc Signaturam Apostolicam non pertinet videre de gravitate actionum Rev.di Mahía (uti iam supra insinatum est) neque de quaestione utrum, necne, ipse per viam non poenalem adhuc inidoneum ad munere Superioris fungendum declarari possit.

III. CONCLUSIO

Omnibus sive in iure sive in facto aequae rimatis, infrascripti Iudices, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent:

AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad silentium Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quo reicitur recursus Rev.di Mahía adversus decretum Exc.mi Episcopi Conchensis diei 5 decembris 2008, ab eodem Exc.mo Episcopo die 7 ianuarii 2009 confirmatum.

Retineatur cautio in arca H.S.T. a Rev.do Recurrente deposita. Partes Patrono congruum emolumentum solvant.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni tradant, ad omnes iuris effectus.


Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 21 maii 2011.

(Signati) Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*
Carolus Card. CAFFARRA
Ioannes Card. LAJOLO

- * Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ, Ponens
- * Philippus IANNONE, O. Carm.

Et notificetur.

Die 16 iulii 2011

+ 
 O. Praem.




✠ Franciscus DANEELS, o.praem., Secretarius

CONCORDAT CUM ORIGINALI


 Iosephus Ferdinandus MEJIA YANEZ, Notarius

d. n. 16. iulii 2011



S.T. Signaturae Apostolicae